REGULAE MONACHORUM (BASILIUS. COLUMBANUS. PORCARIUS. CASSIANUS. AUGUSTINUS. PS. MACHARIUS ETC.). ISIDORUS HISPALENSIS

1. Hälfte 12. Jh. Seite 86r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36553
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



diceris. In lingua aliena conscientiam tuam interroga. Discerne cogitationes tuas. quid uites quid facias. Discerne te tuo non alieno iudicio. Neq; ex aliorum sermonibus. sed ex tua mente te metire. Nemo magis scire potest qui sis tu sicut tu. qui conscius es tui. Quid enim prodest dum malus es si bonus prediceris. aut quid boni laus pertinet ad rem salutis si aliud es.

QVI IN MORIB; LEVIS AC SIMVLATOR EST

Qua propter uita simulationem. uita finctionem. Obscuriori ueste non simules sanctitatem. Qualis appareris talis esto. Professionem tuam et habitu et incessu demonstra. Sit in ingressu tuo simplicitas. in motu puritas. In gestu grauitas. in incessu honestas. Nihil dedecoris. nihil lasciuie. nihil petulantie. Nihil insolentie. nihil leuitatis in incessu tuo appareat. Gestus corporis signum est mentis. Corporis gestu animus proditur. Corporis gestu animus habitus panditur. famam tibi nutris si indignis te sociaueris. Incessus ergo tuus imaginem leuitatis non habeat; Incessus tuus alterius oculos non offendat. Non prebeas de te expectaculum. Non des alius de te obtrectandi locum. Vita malos caue iniquos. Fuge improbos. sperne ignauos. Fuge turbas hominum. maxime eius etatis qui aduitia praue sunt. Bonis te coniunge. bonorum consortium appete. Bonorum societatem require. sanctis indiuidue adhere. Si fueris socius conuersationis eris et uirtutis. Qui cum sapientibus graditur sapiens erit. Qui cum stultis stultus erit. Similes enim similibus coniungi solent. Periculosum est uitam cum malis ducere. Pernitiosum est cum his qui praue uoluntatis sunt sociari. Melius est habere malorum odium quam consortium. Sicut bona multa habet communis uita sanctorum. sic plurimum mali societas adfert malorum. Qui enim tetigerit in mundum coinquinabitur.

QVERBORVM OBSCENITATES LIBENTER AVDIT.

Claude etiam aures tuas ne audias malum. Respue sermones inpudicos; fuge inhonesta uerba. Nulla aures tuas sermonum inpudicitia subripiat; Vanus sermo cito polluit mentem; Et facile agitur quod libenter auditur. Nihil umquam ex ore tuo quod in pedire possit procedat. Nihil quod non expedit sonus uocis erumpat; Hoc procedat ex labiis quod aures non polluat